DIVINA MODVLATIO
SIVE DE
S. SPIRITVS ADVENTV
ORATIO
AD SS. D. N.

INNOCENTIVM X.


PONT. OPT. MAX.

HABITA

IN SACELLO PONTIFICVM QVIRINALI,

AB HORATIO MESSINO VRBEVETANO

Sem. Rom. Conuic.



ROMAE, Typis Hæredum Corbelletti. 1651.

Superiorum Permissu.

125


Eminentiss.mo ac Reuerendiss.mo

PRINCIPI

CAMILLO PANPHILIO

S. R. E.

CARD. AMPLISSIMO.



HORATIVS MESSINVS FOELIC.



ESTIMARE munus ex magnitudine, vel indigentis est animi, vel angusti; at idem ex donantis obsequio metiri magni PRINCIPIS *est, animique præcelsi. Id sanè audaciorem me reddidit, ac planè compu-*

lit, vt Orationem meam è Vaticana Maiestate publicam educturus in lucem tuo Nomini (PRINCEPS EMINENTISSIME) *consecrarem: in hoc ergò quamuis tenui munusculo eam, quam possum obseruantiæ meæ significationem perhumaniter agnosce, tuæque reputa prærogatiuam benignitatis, quod exigua offerre non erubescam; nihil enim adeo exiguum esse potest, quod hoc ipsum non euadat amplissimum, quod addictissimæ tua in obsequia voluntatis indicium sit.*

ORA-

ORATIO.

NEMO profectò existimauerit (B.P.) vel tantam in Dauidis psalterio neruorum vim, & efficaciam, extitisse, vel in eiusdem manibus tàm singularem pulsandi peritiã, & excellentiam, vt Saulem malo genio exagitatum harmoniæ lenocinio mulcere potuerit, & ad sanæ mentis integritatem leniter reuocare. Diuini certè Spiritus modulatio præludebat in illo admirabili sono, cuius vehementissima suauitate furiarũ impetus, ac rabies domabantur.

bãtur. Recolamus enim animo quidnam eſſet nationũ vniuerſitas, cum potentiſsimus hic è cælo concentus iucundiſsimè concrepuit, & mortalium animis vberrimè diuinitatem afflauit. Nihil omnino erat, niſi animorum perturbationibus percitum, vitiorum inſultibus cõcuſſum, auernalibus facibus inflammatum, incitatum corruptelarum ſtimulis, odiorũ diſsidijs tumultuoſum; niſi quiddam rationi diſſonum, ſibi diſcors, diuinis auribus prorſus abominandum. At vbi primùm ſonus hic diuiniſſimus humanos peruaſit animos, quanta repente morum tranquillitas orta eſt, quanta virtutum harmonia, quæ facinorum concordia, quæ animorum conſpiratio Cælo gratiſsima, Tartaro formidabilis? Quid olim potentiorum dominatio-

ne vel iniquius, vel crudelius, vel in omni vitiorum genere petulantius? Quid post diuini Spiritus modulationē Ecclesiastica Hierarchia vel æquius vel benignius, vel ad omnē virtutis excellentiã accomodatius? Admiramur in Christiana Republica Regũ potentissimorum celsissima capita Vaticano fastigio sanctissimè supplicantia, Pontificis Romani pedibus obsequio venerabũdo prouoluta, oracula simul, & leges ex hoc orbis Sacrario demissis fascibus pronisq; ceruicibus deposcentia? Sunt hæc hodiernæ vocis è cælo personantis miracula. Edomitam populorum ferociam, nationũ diuersitatem concordem, ipsam terrarum orbis vniuersitatem vno loquentē fidei, ac Religionis ore conspicimus? Diuini sonitus vim agnoscimus omnia copio-

pioſe replentis. Inuictam vel in ætatulæ, vel in ſexus imbecillitate fortitudinem; glorioſum in abiectiſſima paupertate decorem; efficacem in rudi ſimplicitate ſapientiam, vnanimem in diſsidentibus ingenijs cæleſtium rerum doctrinam, fractam ad Piſcatorum vocem arrogantiam humanæ ſcientiæ, & imperantis ſuperbię temeritatem ſtupidi contemplamur? Cœleſtis huius harmoniæ gratiam prodigiorū effectricem in his omnibus veneramur. Noſtrum erit perficere vt allapſæ Diuini Spiritus melodiæ paratiſsimæ voluntatis Echo reſpondeat.

LAVS DEO.